

ΕΤΝ ΘΒΩ.

DISPUTATIO MEDICA

De

EXCREMENTIS,

Quam

In illustri Academia Iulia,

PRAESIDE

DN. GOTHOFREDO VOG
LERO, Medic. Doct.

Publicè examinandam propono

HENRICVS PASCHASIVS

LVBEC. S.

In auditorio maiori

Die Galeni.



HELMSTADII,

Excudebat Iacobus Lucius, Anno

clō lō cXII.

EXCERPTA

DE GOTTES

HENRI

Handbat Jacobus I. Anno

1711

EYN ΘΕΩ.



illis & contemnenda praesens haec quam ag-
 gredimur de excrementis & reb. sordidis licet vi-
 deri possit speculatio, medicorum interim dignita-
 ti nullo modo abest: Ad haec enim ex quadam subli-
 mitate descendunt natura ministri, ut hominum
 calamitatib. & cruciatib. subueniant. Quia enim
 excrementa sunt vel humorum vel partium quaedam portiones, eo-
 rum sane in quibus haerunt, constitutionem ac dispositionem refe-
 runt, nobis ob oculos ponunt, atq; in demonstratiuis signis primas te-
 nent. Fernel. l. 2. de signis cap. 11. & lib. 3. de urinis cap. 8.
 Lang. lib. 1. epist. 83. Id quod de urina testatur. Hipp. 7. aph. 31.
 32. 33. 34. & c. & Gal. 4. de sanitat. tuend. ex una urina sanita-
 tem polliceri audeat. & Corn. Cels. solam urinam auguriam vale-
 tudinis habere, reliquit. Indicare autem ac de morbis fidem facere
 ea quae per aluum subeunt, testimonium habemus Hipp. 1. aph. 12.
 4. aph. 2. & plurib. in locis alijs, ubi faeces alui naturalium ventri-
 culi facultatum & concoctionis robur recte indicare affirmat. Ob
 id Antonini stabularij equi eius prasini stercora quotidie olfacie-
 bant, ac etiam degustabant, an probe pabulum concoxisset explora-
 turi. Lang. lib. 1. epist. 83. ex Gal. 7. m. m. & Iul. Capitolino
 in Antonini vita.

Excrementum autem cum non vno modo dicatur, nos per excre-
 mentum intelligimus non tantum materiam illam, quae per vl-
 teriorem digestionem non potest transmutari in substantiam nutriti,
 & extra corpus expellitur (comprehendit enim solummodo excre-
 menta naturalia) sed res etiam p. n. contentas, siue quae morbificas
 dispositiones consequuntur, ut sunt, calculi, lumbrici &c. Hinc ex

Fernelio excrementum aliud naturale, aliud non naturale. Naturale est quod in corpore optimè sano natura legib. prouenit & sunt trium concoctionum *ἄεττόματ᾽*. Ex his alia sunt vtilia, quæ usum aliquem præstant aut in corpore aut concoctionis primæ ut pituita, secundæ utrag. bilis & serum, tertia aut intra corpus ut sprutum adeps semen, sanguis menstruus, lac. aut extra corpus, ut crines, ungues. Inutilia aut sunt spirituitosa, aut fluida ut sanguis hemorrhoidalis, sudor, urina, mucus narium, lacryma, sordes aurium, & cutis, aut solidum ut stercus. Non naturalia excrementa sunt, quæ citra naturæ præscriptum à causis *τ᾽* n. gigni solent. Et sunt aut animata ut lumbrici, dracunculi, crinones, aut inanimata quæ aut spirituitosa, ut flatus, aut fluida, ut humores degenerantes omnes, pus, aut solida, ut calculus. Hæc de excrementis in genere sunt dicta, de quibus ordine in specie.

THESIS I.

Pituita est excrementum naturale primæ coctionis in ventriculo & intestinis redundans, ex cibis pituitosis genitum, varios usus in corpore humano præstans.

Immeritò hæc pituita à quibusdam præternaturalis dicitur, quod nullum certum habeat receptaculum, hoc enim habere non debebat, propter usum, quæ partib. quibusdam commodat, necessarium: Iusta enim eius copia in intestinis & ventriculo requiritur, quæ partes internæ illiniantur: Quemadmodum enim excessus eius lienteriam, sic defectus, accedentib. humoribus erodentib. dysentericas exulcerationes producit. Intestina itaq. pituita hæc, veluti lorica glutinosa inducta, minus sentiunt acredinem eorum, quæ transeunt. Ortum autem habet testante Galeno lib. de atra bile cap. 8. ex pituitosis crassis ac tenacib. edulij, ex quib. fit excrementum in prima concoctione, quemadmodum bilis flaua in secundâ & proinde corpori alendo inutilis. Pituita autem illa tenuis quæ aquæ modo destillat de cerebro ex naribus minus propriè pituita nomi-

nominatur, sed à Gal. lib. 2. de facult. natural. cap. ult. potius βλέννα & μύξα mucus, aut κορυζα destillatio solet appellari, & est proprium excrementum cerebri, ex cuius nutritione tanquam inutile relictū est, quod ex ventriculis cerebri vbi congestum est, per palatum & nares tanquam naturales vias excipitur. Quæritur hoc loco, An humor hic pituitosus Necotianā è cerebro elicitus, possit mutari in sanguinem? Affirmatiuam tenent *Manardus medicus Hispanensis lib. 13. epist. 1. Donatus Antonius ab Altomari tractatu de coctione. Clusius in historia medicament. ex nouo orbe delator. VVeck. antidot. spec. lib. 1. Horstius &c.* Quod nempe pilulæ istæ ex Tobacco (vt Hispani vocant) fami resistant, quatenus humores pituitosos eliciunt, eosdemq; ad ventriculum transmittunt, inde porro ad epar & venas. Negatiuam tenent. *Mercat. lib. 1. part. 3. class. 3. articul. 1. quest. 72. Sennert. in tractat. de coctione & crudis. humor.* Si enim reliqui excrementitij, vt vtraq; bilis (vt *Menardis* habet l. alleg.) salsum phlegma & ichores ita concoqui non possint, vt in substantiam membrorum vertantur, non opus est vt huic pituitæ, quæ & ipsa excrementitius humor est, hic aliquam prærogatiuam tribuamus. Quod enim semel in excrementum corporis degenerauit, iterum alimentum fieri non potest. In quauis enim coctione (inquit *Mercat.*) id separauit natura quod nulla lege postea beneficium potest ab ipsa capessere. Hæc enim naturæ lex est, & conditio, quod vel in vna coctione præparet, alterius præstitura perfectionem in reliqua, vel omnino, quod inutile est, separet & reijciat.

2. *Bilis est excrementum naturale chymi quod in secunda concoctione ad cystin relegatur.*

Bilis hic cum ad corpus nutriendum prorsus non sit idoneum, certum habet receptaculum, ne spiritum in venis contentum inquinaret, & omnia sua acrimonia rodens, membranasq; lacerans, vlceris sensum continuo excitaret. *Laur. lib. 6. cap. 20.* Licet autem hic humor ad nutriendum penitus sit ineptus, interim tamen sua non destituitur vtilitate, dum ex vesicula sua per ductus in intestina labatur, tum vt ea ad excrementorum deiectionem stimulet, vnde & fuluo colore infecta apparent, tum vt pituitam mucosam, si fuerit superflua in intestinis, detergat, ne immodicè aucta grauissima inducat

faciat incommoda *Fernel. lib. 6. phys. cap. 9.* tum etiam ut ipsas facerent
instar salis aspergat, ne magis putrescant. *Queri hic solet, An vesica*
bile hac nutriatur cum ipsam ad se trahat, nihil autem trahat, nisi
propter nutritionem? Sed respondemus: vesicam bilem trahere non
ut ab ea nutriatur, sed ut officium commune toti praestet. Trahit in-
quit *Vallesius & Laur.* ut magnes ferrum & succinum paleas quib. ta-
men non nutriuntur. *Paracelsus lib. 2. de tartaro, tract. 1.* Fel, dicit,
esse membrum fixum, nec abundat in corpore, nec in aliud mem-
brum vadit, unde nec causa morbi esse potest, tum etiam nutiri
posse affirmat. *Postea addit: fel non esse purgandum si noceat, qua-*
tuor enim esse membra à quibus nihil debemus adimere, cor, fel,
cerebrum & pulmonem, neq; his medicinam adhiberi debere, per
se se namq; purgari, si quid superfluum fuerit. *In libro de icterico mor-*
bo scribit: bile non colorari hominem, ob crassitiem enim stoma-
chum & intestina non transgredi, nec ab ullo ulterius propelli. Quae
sectatoribus ipsius defendenda relinquimus.

3. *Atra bilis est excrementum naturale chymi, quod in*
principio secundae coctionis mediante liene separatur, & per
venam haemorrhoidalem per anum, ac emulgentes arterias
per urinam expellitur.

Humor enim hic si cum sanguine misceretur, sanguinem totum
conspurcasset, unde tetra ad cor & cerebrum efferretur anathy-
mia sis, unde animal desperatione, moerore & metu velut exanima-
ret. *Laur. lib. 6. cap. 20. & 21.* De officina huius humoris autores non
conveniunt. *Fernel. lib. 6. phys. cap. 9.* superuacaneam melancholiam
lienem, sanguinem expurgando, à iecore ad se prolicere & in se re-
condere ait, hunc *ex Galeni sententia. 2. de locis affectis cap. 1.* secutus est,
Laur. lib. 6. cap. 25. Verum ita statuendo nobilissimam *quadratum*
lienem euertera cupiunt, quod aliter structura substantiae lienis &
vasorum non obscure innuit. *D. Horst. in tract. de Scorb. th. 8.* Nos ita-
que cum *Platero lib. 2. tabul. anat. Bauh. l. 2. th. anat. cap. 43. 44. Zuinger.*
in phys. medic. Sennert. art. med. lib. 1. c. 9. Horst. exc. nobil. 6. q. 6. statui-
mus: lienem crassiores partem chyli in venis mesaraicis iam alte-
rati & sanguinis aliquam dispositionem iam adepti ex mesaraica-
rum trunco, antequam chylus ad epas feratur, ingenuita facultate
ad por-

ad portæ rorum splenicum ad se allicere, & excipere, atq; inde sanguinem sui generis elaborare, & ex hac coctione, quæ fit in liene prodire excrementitiam melancholiam, & non simpliciter solum propter excrementum hoc lienem esse conditum, sed insuper quoq; vim quandam habere *αἰματωποιντικῶν*. vide *Bauh.d.1.* Si enim excrementi saltem gratia conditus esset lien, capacitate, præditus esse deberet ad excipiendum humorem tam crassum idoneum, ut in reliquis excrementorum receptaculis. Et cum paucissimum sit excrementum melancholicum, & bilioso longè paucius, ut docet *Gal.5. de usu part. cap.9.* quorsum opus fuerat, tam amplum & vesicula fellis longè maius receptaculum? Excrementum autem hoc partim per venam hæmorrhoidalem (quæ per coli extrema & recti intestini longitudinem ad anum vsq; prorepat) partim per arterias splenicæ, à quib. & renes excrementitia materia derivari potest per arterias emulgentes, vnde non raro in lienis affectibus urina nigra minguntur. *Laur. lib.6. anatom. cap.27.* Usus huius humoris à plerisque ponitur, quod ex liene in ventriculum infundatur, tum ut coctionem eius iuuet, tum ut naturalem appetentiam excitet. Reijcitur verò hic usus à *Fuchs. lib.3. fabr. corp. hum. cap.12.* & *lib.6. epid. in comment. &c. Vesal. lib.5. anat. cap.9.* qui de hac excrementi lienis in ventriculum eructatione & eius usu nihil afferre audent. Sequitur hosce *Dn. Sennertus lib.1. instit. cap.9.* Quodq; melancholicum excrementum non effundatur in ventriculum ita demonstrat. 1. Quia natura non solet excrementa à partibus ignobilioribus ad præstantiora depellere, sed potius longius à nobilib. amovere. 2. Quia excrementum hoc chylum inquinaret & corrumpere, & multa symptomata excitaret. 3. Quia in mora positum est naturæ in expellendis excrementis non longis ambagibus, uti, sed via recta inutilia fecerunt. II. Quod melancholicum hoc excrementum famem naturalem non excitet, id ab omni ratione alienum ipsi videtur, quasi ventriculus suo & nativo robore coctioni alimentorum non sufficeret, quemadmodum reliquarum partium quælibet suam naturalem appetitum habet. Contrarium statuit *Avicenna lib.1. sen. 1. cap.1.* vnde *Hipp. omnes melancholicos voraces nominat. Secutus est illū Valles. lib.1. contr. cap.20.* Omnes enim acidi succi in ventriculo appetentiam mouent, idq; ex Galeno, cum enim oris ventriculi perijt appetentia, aci-

τα, acidis fructib. vrentes, illam quotidie reparamus. Posuit autem natura meatus melancholiam deferentes in medium ventriculi, non enim solum appetentiam excitat; sed concoctionem etiam iuuat, & retentionem præcipuè.

4. *Serum est excrementum naturale secundæ coctionis ex potu aut cibis serosis & aquosis genitum, certi vsus gratia.*

Serum duobus modis dicitur. 1. in genere omnes humores tenues serosi humores dicuntur. 2. in specie ij humores serosi dicuntur, qui non solum aquosi sunt, sed & ob quandam falsedinem cum sero conuenientiam habent. Sub illis comprehenditur etiam portio sanguinis alimentosi: hi verò excrementa sunt; serum enim omne teste Galeno 2. de facult. natural. cap. 9. excrementum est, & quidem secundæ concoctionis; habeat enim serum, sudor & vrina eandem materiam secundum Gal. lib. 10. de alimentor. facult. §. sudor. & Aristoteles probl. 3. sect. 2. alimenti partem dulcissimam in corporis substantiam conuerti: alienissimam verò partem, quam crudam appellat vel ascendere & vocari sudorem, vel descendere & vocari vrinam, Capisacc. tract. de vrin. cap. 3. Serum hoc sanguinem defert ad angustos meatus nutritionis causa (vnde Hipp. vehiculum sanguinis dicitur) quo officio postquam functum est, pars quædam per renes attrahitur, & mediante vesica urinaria per vrinam excernitur, onus alioqui ignauum venis. Heurn. lib. 9. instit. cap. 1. Horst. excerc. 3. th. 7. & 17. Laur. lib. 6. cap. 23. pars verò per poros cutis vel per insensibilem transpirationem & leuem quasi madorem vel sudorem expellitur Sennert. lib. 2. artis med. part. 2. cap. 8.

5. *Sputum est excrementum naturale, tertiæ concoctionis duarum istarum glandularum circa linguæ radicem collocatarum, insignis vsus gratia.*

Materia sputi cum duplex sit, 1. quoad substantiam vel crassior vel serosior. 2. quoad locum ortus, vel enim à cerebro delabitur & μύξα vel βλέννα dicitur, vel à tonsillis, quas græci παρίσθμια dicunt (propterea quod in faucium regione collocata sunt, quæ propter angustiam ἰσθμὸς dicitur) attrahitur atq; in sputum conuertitur & σάλιον siue saliuæ dicitur. Priorem hic mittimus (cum mucus potius

potius dicenda sit, de quo in pituita) hanc verò consideramus. Illud autem quod exspuitur vniuersim $\delta\acute{\alpha}\pi\omicron\pi\iota\upsilon\sigma\mu\alpha$ dicitur: Singillatim verò quamdiu naturale est $\pi\acute{\iota}\upsilon\alpha\lambda\omicron\nu$, præternaturale verò $\pi\acute{\iota}\upsilon\sigma\mu\alpha$ vocatur. Gal. 1. de crisib. Vsum quod attinet huius excrementi is statuitur multiplex 1. vt os & linguam irriget perpetuo, ne exsiccata lingua tardius moueatur. Gal. 11. de vsu part. cap. 10. II. Facit vt lingua tanquam gustus organum per se tanquam medium saporis possit percipere sub specie, gustatio enim non nisi madore perficitur, vnde rectè saliuæ gustus medium externum appellatur; defertur enim sapor ad instrumenta gustandi per saliuam, vnde lingua arida saporem non percipit, qualitas siquidem sapida in humore ex obiecto sicco elici non potest Aristot. lib. 2. de anima cap. 10. text. 104.

6. Semen est excrementum tertiæ concoctionis humidum spumosum & album, ex reliquijs alimenti vltimi, & spirituum vbiq; errantium permistione, à peculiari testium vi excocctum, vt ad speciem perpetuandam inseruiat. Laur.

Semen $\gamma\omicron\nu\eta$, $\sigma\acute{\omega}\epsilon\rho\mu\alpha$ græcis, latinis semen genitura. Excrementum hoc esse demonstrat Laur. lib. 8. anat. q. 3. ex Aristotele de animal. generat. lib. 1. cap. 19. Pars enim non est, propterea quod ex eo permanente nihil constituitur, ac animal esset mutilum, quoties semen effunditur: non alimentum, non enim excerneretur: non colliquamentum, quia est res p.n. nec propriam habet sedem. Erit ergo excrementum, nihil enim præter hæc in corpore continetur. SPVMOSVM est semen spirituum permistione & motu, non autem vi frigoris, quemadmodum nix concreuit, neq; vt lac coctione cogitur. ALBVM est tum propter vasorum testiumq; naturam, quod imitatur Fernel. lib. 3. phys. cap. 5. Estq; ex reliquijs alimenti vltimi, quæ excremehta sunt vtilissima. Humor enim in vltima coctione abundans purus & sincerus à trunco venæ cauæ per spermaticas venas ad præparantia vasa & testes defertur, ibiq; coquitur. Permiscetur & semen spiritib. vbiq; oberrantib. qui singularum partium ideam speciemq; $\sigma\pi\upsilon\delta\mu\epsilon\tau\alpha$ continent, ac per arterias spermaticas ad testes deferunt, semenq; facundum faciunt. Duplex autem hæc seminis materia in labyrinthis testium plexib. permiscetur,

B

atq;

atq; vnicum fit corpus. *Laur.* Sunt enim testes feminis officina, ad quam reliqua membra præcipua materiam spiritum, caloremq; per venas, neruos & arterias transmittunt, quæ testes innata vi in vnum redigunt, & appellatur semen. *Sennert. l. 1. cap. 10. de semine:* Licet alium vsum testib. assignet *Aristoteles lib. 3. de historia animalium cap. 1. & lib. 1. de generat. animal. cap. 4.* Inseruit autem ad perpetuandam speciem, & hinc vtile dicitur semen quod à natura quidem relinquitur superfluum nutritioni, sed tamen vt necessarium generationi, & licet non ad proprii corporis cui inest, tamen ad alieni corporis vsum præstat. *Colleg. Conimb. l. all.* Est autem semen duplex, maris alterum, alterum fœminæ, illud præstantius est propter maiorem calorem, vnde maior efficiendi vis, licet vtrumq; ad generandum potens. *Colleg. Conib. l. 1. de generat. & corrupt. cap. 4. q. 2. artic. 2.* De fœminarum semine dubitant *Aristot. & Auerroes*, sed eius opinio merito ex schola medicorum exploditur, propterea quod testes in mulierib. non desint (natura autem nihil facit frustra) 2. quod liberi matrib. non raro similes sint, 3. & sæpius album semen in mulierum testib. inuentum sit, teste *Andernaco*. Semen autem mulierum non merè passiuè sese habet in generatione, sed quoq; agendi vim ipsi tribuimus, propter spirituum copiam, quibus aliqua ratione generationis opus actione quadam promouet. *Paracellus* semen in homine vnde producatur fœtus, negat dari, Idem de generat. hominis, Semen dicit esse excrementum renum, quemadmodum mucus narium cerebri & sordes aurium cholera.

7. *Sanguis menstruus est excrementum tertiæ concoctionis, quod ab vltimo alimento partium carnosarum certis temporibus & statis periodis per vterum expurgatur in fœtus generationem & nutritus.*

Excrementum dicitur non quod qualitate peccet, sed copia, quantitate enim nimia luxurians à carnib. iam expletis & saturatis in venas maiores refunditur & euacuatur, Sanguine enim illo op-pletæ venæ, materiam ad excretionem stimulant. Materia sanguinis menstrui est residuum alimenti vltimi, quod in mulierib. copiosius est, quam ad nutritionem opus est; tum ob debiliorem calorem; vnde *Gal. lib. 2. cap. 5. de semine ait:* fœminam redundare excremento sanguis-

sanguineo, quia eius calor est debilior, calor autem debilis non resoluit, sed generat, *cap. 6. lib. 14. de usu part.* tum quod corpore sint præditæ minus perspirabili. Fluit autem ad uterum sanguis, mira naturæ providentia, ut scilicet huic itineri assueta natura, statim conceptione facta ad fœtus nutritum accurrat sanguis *Laur. lib. 6. anat. cap. 3.* Fluit autem certis tantum temporibus: (vnde *Hippocratus* *ἡμῖν αἷμα* appellat, quod singulis mensib. à naturâ expurgatur) & non singulis diebus, tum ne conceptio impediatur: Quæ enim uteros habent præhumidos, non concipiunt, extinguuntur enim in ipsis genitura *Hippocratus 5. aph. 26.* tum &, ne mas à concubitu abhorret, si fœminarum genitalia perpetuo cruore maderent. *Laur. lib. 6. qu. 10.* Sanguis autem hic cur singulis mensib. excernatur, variæ à medicis finguntur causæ. Aristoteles 2. & 4. de generatione animalium, causam ad lunæ motum refert, quæ mater est & motrix humidi illud vel euocans vel concentrans. Arabes pro atatum varietate varia statuerunt purgationis tempora, vnde versus: Luna vetus vetulas iuvenes noua luna repurgat. *Laur. lib. 6. anat. quest. 9.* Lunæ quidem vires in hæc inferiora agnoscit, sed causam hanc ad solum motum lunæ referendam non cenlet; haberent enim omnes mulieres easdem cum luna mutationes; verum obseruarunt alias luna decrescente, alias silente luna hunc fluxum pati. Causam itaq; ad definitos naturæ motus & certas illius leges nobis incognitas refert, quas ipsa prætergreditur nunquam, sed seruat inuiolatas, nisi aut lacepsita ob adueniens extrinsecus aliquod irritamentum: aut impedita, vel ob viarum angustiam, vel humorum crassitiam. Quidam ut *Plinius Columella &c.* sanguinem menstruum venenatum esse dicunt, propterea quod ipsius contactu nouellæ vites arescant & speculæ inficiantur. Verum contrarium verius est, cum sanguis ille non qualitate sed quantitate tantum peccet. Malignus verò per accidens euadit, quando diutius quam par est, in utero retinetur, & ita impedita vacuatione virulentiam aliquam acquirit, cum enim supprimitur & non difflatur, à calore suo deseritur atq; putrescit, Et quo quid nobisius, dum integram seruat naturam, eò redditur deterius cum ab illa recedit. *Laur. lib. 8. anat. q. 8. Riolanus in comment. in Fernel. cap. 7. de hominis procreat.* Alioqui sanguis mensruus vitiatu non est, imò potius benignus, purpureusq;

dicendus est, utpote qui fluat ex venis & arterijs. Similis enim est hic sanguis cruori mactati recens agni, consistentia mediocri, sapore dulci, ac in terram effusus concrefcit *Hipp. lib. 1. de muliere. Paracelsus paramir. lib. 4. de origine morb. matric.* menstruum sanguinem dicit esse excrementum ut stercus, non solum quantitate sed & qualitate peccans, non dari autem in matre quam diu fuerit grauida, sed statim post conceptionem omnia in matre transmutari, & naturam cessare à venenis in grauidis, quemadmodum sol tempore Iosux cessauit, omniaq; sese habere in grauidis ut æstatem, ubi nec nix nec pruina.

8. *Lac est excrementum tertiæ concoctionis ex sanguine ab utero ad mammillas delato genitum, fetus nutriendi gratia.*

Lac nihil aliud est quam mensruus sanguis albore fucatus (nam, ut ait Plato. fucum facit natura blandum, quo à crudeli cruore vescendum hominem abalienaret.) Effici autem lac ex sanguine mensruo, inde patet: Quia defluxus sanguinis mensruum cessat in foeminis post conceptum, deinde prole in lucem edita, adhuc cessat maiori ex parte, quamdiu lac manat. Sanguinem autem vbera vi attractrice mediante venæ cauæ trunco ad se ab utero alliciunt. *Laur. lib. 7. quest. 11.* & innata facultate decoquunt, ut foetui in lucem edito commodum alimentum esse queat. Est autem lac proprie excrementum foeminarum ingrauidatarum, quamuis interdum etiam in virginibus & viris quibusdam inueniatur. Licet huic ultimo contradicat Aristoteles *lib. de histor. animal.* quod scilicet nulli animantium lac generetur, antequam vterum ferat; natura enim cum nihil faciat frustra, cur generatur lac in virginibus? Affirmatiuam nihilominus voluit *Hippocrates 5. aph. 39.* si quæ neq; prægnans neq; puerpera est, ei mensrua defecerunt: Data enim materia & efficiente sequitur effectus in actionibus partium, At in virginibus datur materia: menses enim in virginibus suppressi non raro in mammæ regurgitant. Datur efficiens glandulosa mammæ substantia, vnde lac in virginibus præter naturæ legem ex propria lactis materia produci potest. Sed *notandum*, quod lac aliud sit verum, quod alteratione & vera mammæ coctione dulce, moderatè crassum

crassum pro nutritione infantis producitur : Aliud spurium, lacteus videlicet humor, qui colore tantum suo non forma specifica lactis nomen meretur : tenue enim & aquosum admodum est, propterea quod tanta copia non affluat, nec etiam virginum mammae ad lactis elaborationem assuetæ sunt. Aristotelis ergo aphorismus procedit de lacte omnibus modis absoluto, non p. n. sed in statu naturali genito. Nec obstat quod finis lactis non adsit, cum distinguendum sit inter finem internum & externum. Finis enim internus facultatis γαλαπποποιητικῆς est ipsum lac, quod enim finis est in intentione, hoc est effectus in executione. Iam lacti generato accidit, ut infantem nutriat, quia alijs quoq; vsib. inferuire potest. Paracelsus Galenum & Auicennam & reliquos medicos qui lac ex sanguine menstruo generari statuunt, Phantastas appellat, est enim sanguini illi (inquit) nullum venenum similius, nullum generosius, & prius vitulus marinus quam lac ex illo generatur. Lac tamen pro nutrimento infantem ex mammillis habere scribit, sed materiam ex qua, tacet.

9. *Adeps est excrementum tertiæ concoctionis ex sanguinis portione aërea, quæ per venas transsudans, vel ex carnis orificijs exiens in membranosis partibus concrevit genita.*

Adeps Græcis πικελῆ, σέαρ, λίπ^o adeps & pinguedo latinis. Differunt secundum magis & minus. Pinguedo enim celeriter calore liquefit, nec facile rursus concrevit, Adeps verò non facile liquefit, sed celeberrime congelatur & est durior. *Capiu. de meth. anatom. cap. 14. Laur. lib. 6. cap. 6. Bauhinus.* De adipe dubitatur an excrementum sit. Contradicere videntur *Gal. & Hipp.* qui pluribus in locis adipem partem nostri corporis vocant. Contra medici ferè omnes corporis partem non statuunt. Distinguendum itaq; cum *Laurentio lib. 6. q. 6.* nomen partis. Fusa enim significatione, quicquid totum complet pars totius dici potest, & sic adeps est pars corporis, sed pressiori pars dici non debet, non enim communi vita fruitur, nec propria quadam circumscriptione continetur, tandemq; per inedias cedit partibus in alimentum. *ut affirmat Rondelet. lib. 3. de piscib. cap. 14.* Dicitur autem excrementum ea ratione, quate-

quatenus à saturatis partibus materia eius non assumitur, sed tanquam utile quiddam separatur, & partibus membranosis apponitur. *Dn. Horst. ex Auerroë sect. 1. collect. cap. 8.* Est igitur excrementum utile ut semen teste *Aristotele l. 1. de generat. animal. cap. 18. & 19.* Capiuaccius Galenum qui adipem corpus simile dicit cum Aristotele, qui illam excrementum vocat, conciliare cupit *lib. 1. de methodo anatomica cap. 14.* hoc modo: corpus pingue esse mixtum quiddam ex substantia excrementitia & viuentem, ita tamen ut excrementitia pars superet; vnde Aristoteles respiciens ad superabundans dicit esse excrementum, Galenus verò ad partem viuentem respexit. De adipis porrò temperamento & causa coagulationis non conueniunt medici & philosophi *Gal. lib. 2. de temp. Vall. lib. 1. controu. cap. 10. Fernel. lib. 1. cap. 15. Riolan. in eundem. de elementis cap. 2.* adipem à frigore cogi volunt, dum frigidioris naturæ animalia reliquis sint pinguiora. Contrarium statuit Aristoteles *lib. 3. de part. an. cap. 9. & lib. 3. de histor. animalium cap. 16.* propterea quod tale actuale frigidum in corpore nostro non datur, cuius vi tenuissimus sanguis possit concrefcere, cum omnia membra viuentia caleant. Notandum itaq; I. ex *Capiu. loco all.* discernendum esse inter generationem pinguedinis, & inter eiusdem generatæ concretionem. II. ex *Laury. lib. 6. cap. 5. & qu. 5.* vocabulum frigidum apud medicos sumi pro debili calore vel minus calido. Sit itaq; adipem progigni à calore quod motu fit substantiali, condensari verò motu accidentario à frigore, non quidem absolutè, sed minus calido, quod philosophis aliquando est frigidum. Temperamentum quod attinet *Valles. lib. 1. contr. cap. 10.* frigidæ naturæ statuit, propterea quod sit ex sanguis & calore liquefiat. Rectius Aristoteles in contrarium sentit, propterea quod ex tenuissima & calidissima sanguinis parte producat, atque aliarum partium calorem conseruet; materia autem frigida in corpore nostro pro fouendo calore iudicetur penitus inepta. *Dn. Horst. exc. 3. q. 8.* Pinguedinem autem exanguem esse Aristoteles negat, cum nihil aliud sit quam perfectè concoctus sanguis & ad crassitudinem redactus, qua de causa dicit fieri non posse ut animantia exanguia pinguedinem habeant. Adeps verò qui soluat à calore fit propter humiditatem suam, non quod frigore concreuerit. Vsum autem habet adeps ut partes tueatur,
ac vasis

ac vasis potissimum, quæ ad cutim feruntur, substernatur, & calorem natium foueat. Paracelsistæ coagulationem adipis à spiritu falso fieri scribunt, idq; ad sensum ostendunt in oleo communi, quod per spiritum salis vtinæ coagulatur, & in oleo anisi quod per oleum vitrioli condensatur. *Zuing. in physiologia medica pag. 195. 359. 464. &c.*

10. *Vngues sunt excrementa tertiæ concoctionis, ex neruosarum partium alimentorum reliquijs, ad perfectiorem apprehensionem extremitatib. digitorum appositi.*

Vngues viuentibus partibus annumerare cupit *Valles. lib. 2. contr. cap. 5.* propterea quod in regeneratione callum, quemadmodum ossa habeant. 2. quod sentiant, vt apparet ex dolore vnguium. Verum rectius contrarium statuunt, & inter excrementa eos recipiunt *Fernel. lib. 1. phys. cap. 15. Laur. lib. 12. cap. 7.* propterea quod non augeantur vt aliæ partes in longum latum & profundum *Gal. lib. 7. de usu part. cap. 15.* Est itaq; imperfecta eorum accretio, quia non fit tractione alimenti & assimilatione sed appositione tantum. Præterea corpori non constituendo sed constituto adueniunt, vnde nec sunt partes corporis sanabilis; sponte enim cadunt, tunduntur raduntur, quin eradicantur sine vlla corporis offensione. Vnde *Riolan. in comment. in Fernel. de elementis cap. 2.* Bili & vngues sunt operis parerga veluti, ex humoribus enim resiliunt, vt ex incude fauillæ, aut fuligo ex camino. Materia vnguium ex neruosarum partium excrementis oritur: Articulis autem sunt appositi pro actionibus illarum firmiter suscipiendis. Causa verò restitutionis in vnguibus non est vita sed excrementorum copia, ab articulis enim excrementi & eluiciei quiddam semper emanat, quod in vnguium radices confluens, materia fit illis perpetuo augetcentibus. *Fernelius. Sentit autem vnguis ratione membranæ subiacentis. Dn. Horst. lib. 1. exc. 3. q. 8.*

11. *Pili sunt excrementa tertiæ concoctionis ex sicca & vaporosa materia, quæ in rarioribus cutis partibus instar fili enascitur certi vsus gratia.*

Et hos in partium numerum quidam recensere volunt, quod toti

toti firmissimè cohæreant, ac propria quadam circumscriptione distincti sint. Contrarium rectius statuunt *Gal. in lib. artis medico. Vall. lib. 2. controu. cap. 5. Fernel. lib. 2. phys. cap. 2. & alij plures.* Propterea 1. quod sint partes inorganicæ, nulli certæ actioni inseruientes. 2. quod in tabidis & mortuis, in quibus facultas nutritiua languescit, pili crescant. 3. quod non augeantur secundum omnem dimensionem. Ortum autem habent à fuliginoso vapore à recrementis siccis sublato, rariora cutis spiracula permeante, vnde à calore moderato pelluntur. Augentur verò perpetuò nouæ fuliginis accessu sine opera facultatis alicuius alentis. Vsum autem habent suum & vtilem & iucundum. Vtilem, vt corpus defendatur ab iniurijs: tum internis, vt fieret fuliginosorum recrementorum expurgatio, ab externis verò vt sint partium subiectarum tutela. Iucundum verò, partes honestas ornando, caput scilicet & mentum. Dicuntur & casaries, à fræquenti cæsione, Fœminis autem curiosiore cultu coma à *κοπέω* curo.

12. *Hactenus de excrementis naturalib. vtilibus dictum est, sequuntur itaq; illa quæ nullum in corpore vsum præstant, inter quæ primo loco sese offert, Sudor excrementum tertiæ concoctionis, qui à seroso humore gignitur & per poros cutis expellitur.*

Sudor promiscuè sumitur interdum pro excremento ipso, quod *ιδρώς* vocatur, interdum pro excretionem, quæ *ιδρωσις* siue sudatio dicitur. Nos de excremento hic agemus. Sudoris vrinæ & feri cum *teste Galeno* eadem sit materia, rectius secundæ concoctionis excrementum dicendum esset. Nominatur autem tertiæ excrementum, quod materia hæc, vbi munere suo functa est, non amplius naturæ sit necessaria, ideoq; tum vt superfluum per poros cutis excernitur. Quemadmodum enim in secunda coctione feri portio, postquam sanguinem in membra vsq; deduxit, naturæ prouidentia & renes redit, ita in tertiâ portio, cum tam promptè per venas resudare & ad renes peruenire nequeat, per poros ipsos excernitur, tantò subtilior sero vrinali, quantò plures experta concoctiones. Sudoris autem excretio an sit naturalis quæstio est? Affirmatiuam statuit

Vallesius

Vallesius lib. 5. controu. propterea quod materia sudoris sit serum, serum autem sit in numero eorum excrementorum, quæ secundum naturam colliguntur. Negatiuam tuentur *Diocles, Sennert. lib. 1. cap. 9. instit.* Si nihil, inquit, violentum accedat, ut sunt balnea & vehementes exercitationes, nequaquam sudor, quæ sensu percipiatur, per cutem excernitur.

13. *Lachrymæ sunt excrementa tertiæ concoctionis ex sanguinis sero, quod in Venis capitis & angulorum, qui in oculis sunt, continetur.*

Materia lachrymarum eadem est cum vrina & sudore sanguinisque sero (falsedine enim sua oculos mordet & calefacit, vnde *ἰσχυρὸν* dicitur ὡς ἰσχυρῶν, quod oculos mordicet) docetq; hoc *Aristoteles 5. sect. probl. 35.* vnde excrementum secundum naturam videtur. Excretio autem lachrymarum homini naturalis est, (& fletus dicitur, quando constringitur cor, & cum eo thorax & faciei muscoli) quemadmodum & risus: Sunt enim hi duo motus sibi inuicem contrarij, animi motum quendam representantes, & accidunt homini soli, quia solus animi affectiones habet. Fit etiam nonnunquam fletus inuoluntarius, qui est p. n. ob debilitatem facultatis concentricis in partib. contentorum, vnde *Hipp. 4. aph. 52.* Qui in febrib. aut alijs morbis voluntariè illacrymat, nihil absurdum, qui verò præter voluntatem absurdum. Idem *ex Gal. in comment. prognost. 10.* & hic fletus symptoma est & præter naturam.

14. *Sordes cutis sunt excrementa tertiæ concoctionis ex crassiori seri parte genita, ac per poros cutis emergentia.*

Sordes cutis cum transpirationem & sudore communes sunt toti corpori, perque easdem feruntur vias, sola qualitate materiae differunt. Quod enim tenuissimum est transpiratione exhalat, crassissimum adhæret, quæ mediæ est consistentiæ effluit. Sudor itaq; & transpirabilia cum habeant partes heterogeneas, terrestrior pars in sudatione & transpiratione relinquitur, cutiq; adhærescit, ac in sordes vertitur, apparentq; in linteis & vestimentis cutem tegentibus.

15. *Sordes auris sunt excrementa tertiæ concoctionis,*

C

quæ

quæ ex ossium auditus nutrimento per porum auditorium in aures excernuntur.

Sordes hæ græcis *κυσάλη* & *κυσάλις* dicuntur. Materia colore, & sapore suo humori bilioso videtur similis. Est autem ossium, quæ sunt in aure, excrementum, quæ cum sint siccissima sanguine quoque sicco nutriantur necesse est, vnde & hæc excrementa siccissima simul atq; tenuissima, quæ nimirum per tympani membranam obtensam permeare possint, vt proinde verisimile sit, non nisi sub vaporis specie per porum auditorium mitti, vbi verò ad extrema ventum est, conglobari, & in sordem concreescere. *Zuingerus.*

16. *Vrina est excrementum secundæ concoctionis ex superflua assumptorum liquidorum portione genitum, quod ex venis renes proliciunt, & per vreteres in vesicam dimittunt, vnde postea excernitur.*

De vrinæ materia variè sentiunt authores. *Mercurial. de vrinis cap. 2. Iouertus de vrinis cap. 1.* vrinam ex materia potulenta tantum genitam disputant. *Vallesius rectius cap. 1. & 2. de vrinis,* vrinam duplici constare substantia contendit, potu scil. & sero humorum in venis contentorum. Additur à quibusdam materia spiritulosa, aer videlicet externus, qui intra corpus per arterias, item per pulmones attractus, interdum in aquam vertitur, pro dispositione corporis. Vt in puella illa anno 1481. annorum 18. cuius *Cardanus 8. de rerum variet. cap. 144.* meminit, quæ per 50. dies quotidie mingebat libras, circiter 36. cum ex cibo & potu non vltra 7. assumeret. *Laur.* colliquamentum adipis quartam statuit materiam. Sed quæ præter naturam sunt huc non referimus. Nec conuenit inter medicos cuius coctionis excrementum sit vrina. *Argentarius, Saluianus* Primæ coctionis excrementum illam statuunt. *Kragius* tertiæ coctionis excrementum vult; quod nimirum expellentib. renib. vesica vrinam ad se attrahat, tanquam alimentum, atq; hoc amplectatur ac foueat, & sibi illud assimilare conetur, cum autem totum vincere nequeat, reliquum tanquam inutile excludat. *Quidam* partim primæ partim secundæ coctionis excrementum volunt. *Lycus Macedo* renum tantum alimenti excrementum vrinam contendebat. Sed nos

nos cum Galeno, sect. 4. aph. comm. 77 Fernel. l. 3. path. cap. 8. Lang. ep. me-
 dic. 83. lib. 1. Bauh. lib. 1. th. anatom. cap. 44. Sennerto & c. secundæ coctio-
 nis excrementum pronunciamus, licet in prima coctione initium
 suæ generationis accipiat Liddel. l. 2. artis med. cap. 7. Quoduis au-
 tem excrementum tum demum cum excrementum dicatur, quan-
 do ab utili secernitur, & materia illa aquea ventriculi tum demum
 excrementum dici debet, cum ab utili secernitur, id quod fit in
 epate, ideoq; emunctoria vt renes, vtereres & vesica epati non ve-
 ro ventriculo proximè cohærent, quemadmodum in alijs coctio-
 nibus officinis partes excrementis excipiendis dicatæ adhærent.
 Kragy opinio falsissima est, cum pars nulla sero sed puro nutriatur
 sanguine, adde, quod venas nutritionis gratia natura vesicæ
 concesserit. Ad *Lycum* quod attinet respondendum, vrinam excre-
 mentum renum à Galeno in quodam loco appellari, non quod in
 renibus generetur (nam quomodo exigui renes, tantum serosi hu-
 moris copiam generarent) sed quia à solis renibus trahatur, secer-
 naturq; Laur. lib. 6. anat. q. 27. Sunt itaq; renes tantum emunctoria
 iecoris vrinam emulgentia. Trahitur autem vrina à renibus, non
 quod ea nutriri cupiant, sed innata quadam proprietate actione
 videlicet officiali, quæ ex intentione naturæ ad conseruationem
 totius ordinata est, vnde Gal. lib. 3. cap. 9. de naturalib. facult. ait:
 quemadmodum hominum sterces canibus est suauissimum; ita ex-
 crementum iecoris renib. est iucundissimum.

**17. Stercus est excrementum primæ coctionis, quod ex
 terristris chyli parte in ventriculo gignitur & per aluum
 expellitur.**

Inter excrementa quæ per aluum fluunt corpulentius est ster-
 cus, & Græcis *διπραίμια* & *διπραίμια* dicitur quod secedere so-
 leat, ne aliorum oculos vel nares offendant. Est autem excremen-
 tum primæ concoctionis quod in ventriculo initium sumptum, in
 intestinis perficitur. Chyli enim pars terrestris, quæ cum utili sub-
 stantia in ventriculo erat confusa & à calore ventriculi confici non
 potuit, postquam è ventriculo & graciliorib. intestinis in cœcum
 intestinum vel colum & mox in aluum irrui, ibi fæx alui dici con-
 suevit. Fernel. lib. 6. phys. cap. 6. Colorem hæc excrementa per se al-
 bum

bum habent, ex sua naturâ, similia ei, à quo excidère, flauum verò habent per accidens propter admixtionem bilis virtutem excreticem stimulantis, nigrum sæpe propter admixtionem humoris adulti. Odorem habet foetidum, cuius causam ex *Laur. lib. 6. q. 15.* habemus duplicem I. Calorem videlicet natium debiliorem (qui cum functionum omnium animæ instrumentum, in stercus, tanquam ab anima directus, non agit, sed hoc excrementum tanquam inutile quoddam negligit, vnde oritur putrefactio, cuius soboles est foetor.) II. Materiæ aptitudinem. Alimenta enim nostra multa scatent humiditate, quo autem copiosius humidum in re putrefacta, eo foetor multo maior. Putredo verò hæc, licet eximia, corpori nostro non nocet, propterea quod in locis à corde remotioribus, & ita inuolutis, vt eò vapores putridi peruenire non possint, lateant. *Mercurial. lib. 5. pract. med. cap. 3.* Saporem ex *A. sclepiadis* relatione habent amarum, propter bilem permixtam, ipse enim excrementa degustare solebat, vnde *σκαποφάγος* quibusdam dictus est.

18. *Fuerunt hæcenus excrementa naturalia, sequuntur ea quæ p. n. in corpore nostro gignuntur, vbi incipimus de Lumbricis, qui sunt excrementa præter naturam in intestinis vt plurimum genita ex crasso lento excrementitio humore putrescente, à calore putredinis suscitata.*

Excrementa esse patet cum non sit corporis aliqua pars nec alimentum. Materia ex qua non est biliosa aut melancholica, sed crassa lentaq; pituita. Est autem non simplex pituita illa vermium materia, sed in vermium generatione non videtur etiam deesse semen (vt *Paracelsus* habet) aut certe quiddam semini *ανάλογον* & proximum principium & peculiarem in materia potentiam ad talem formam suscipiendam latere. *Aristoteles n. 3. de generat. animal. cap. 3.* docet in excrementis etiam posse vitale principium inesse. Causa efficiens est calor putredinis & maximè humidus, qui non subito rem dissoluit, sed paulatim calidum innatum euocat. Calor autem qualis sit, per se substantiam efficere, & sese aliquid nobilius producere non potest, nec cœlestis quidem, qui tantum est agens vniuersale,

nerfale, sed præter se proximum agens requirit, quod semen illud
 est latens in materia de qua diximus. *Aristoteles s. de histor. animal.*
cap. 19. communi nomine vermes ἐλμίνθες nominat, eorumq; tria ponit
 genera, Quod alij sint lati, alij longi, alij parui, de quo *Fernel.*
lib. 6. pathol. cap. 8. Ad lumbricos referuntur à quibusdam *dracunculi*
 & *crinones* animalcula subcutanea, è vitio excrementorū tertix concoctio-
 nis, quæ totum vel partem extremis cruciatibus exagitat,
 & suo nutritu defraudant de quib. vide *Paulum Aeginetam lib. 4.*
cap. 54. Locus generationis vermium secundum *Alimentum ex Lid-*
delio, non est ventriculus, cum ibi ciborum concoctio vigeat, licet
 aliquando à ventriculo sursum repant: sed intestina vbi fit segre-
 gatio. Contrarium statuit *Paracelsus* qui dicit: vermes nascuntur
 in stomacho & nequaquam in intestinis, sed descendunt per stoma-
 chum ad intestina, quia in intestinis non est matrix vermium. Ve-
 rum cum tamen in intestinis quam ventriculo causæ productiua ver-
 mium concurrere possint, vitiosi videlicet humores, qui tam hinc
 quam ibi scatent plurimi, in utroq; loco vermes generari non erit
 absurdum. Imò generantur etiam vermes in alijs corporis partibus
 quam plurimis, quando habilis ad producendos vermes datur
 materia, vt testantur practici. *Paracelsus* enim in mulieribus in ma-
 trice generari dicit vermes, cuius etiam præscribit curam: deinde
 in cerebri regionibus & cordis apostematibus vermes inuentos
 per anatomiam obseruasse ait, & *Fernel.* exiguos in renib. interdum
 genitos cum vrina profusos, & in pulmonib. aurib. & dentib. ob-
 seruauit. & *Plutarchus* dicit vna cum semine se lumbricum aliquem
 excreuisse, Generantur & in habitu corporis vt habet *Forestus lib.*
20. in fine in obseruat. medicin.

19. *Flatus est excrementum primæ concoctionis ex ma-*
teria flatulenta genitum.

Materia flatus est crassa & frigida, genita vel intra corpus, vt
 humores crudi, vel extra corpus, vt alimenta cruda, (quæ à ca-
 lore superari non potuerunt, sed aliquo modo ab ipso dissoluuntur,
 & in halitum conuertuntur, est enim flatus cruditatis soboles)
 aut sua natura flatulenta. Causa efficiens flatuum vulgo sta-
 tuitur debilis calor, vbi notandum: Calorem duobus modis dici

posse debilem. Vno, sua ipsius natura, altero, respectu materiae, qui, etsi alias satis fortis sit, tamen à materiae copia opprimitur, vt eam totam vincere non possit. Flatus per os cum strepitu erumpens ructus vocatur, per anum verò deorsum, crepitus ventris, cum in neutram partem erumpit, affectum colicum in colo gignunt. Si verò intra abdomen coarceatur, tympanitidem. Quo igitur liberius & maiore cum impetu affertur, eo salubrior vulgo crepitus iudicatus quod simul & semel non tenuis tantum, sed & crassior flatus excernatur. Vnde *Valentina ducissa*, vt coram Henrico II. liberius pederet, apprehensum Conestabilis digitum mordicus appetijt, vt & vociferante sonus non audiretur. *Zuingerus*.

20. *Humores alimentarij quando degenerant in non naturales, excrementa fiunt præter naturam, & sunt, bilis, pituita & melancholia.*

BILIS præternaturalis 4. sunt species. I. vitellina dicitur, vitellisq; ouorum similis est, vnde nomen habet, & flauâ naturali est calidior & crassior, Generatur autem ex bile flaua exusta & non ex admistione pituitæ, vt voluit *Auicenna*; est enim insigni calore prædita, cum tam calorem quam colorem pituitæ imitari debuisset. Oritur itaq; hæc in venis à calore p. n. tenues partes dissipante & incrassante ad consistentiam & colorem vitellorum ouorum. II. Bilis porracea ex crudis succis in ventriculo gignitur (interdum tamen & in venis ex vitellina gignitur & decumbit in ventrem, docente Galeno) III. Aeruginosa fit ex porracea, quæ vbi diu in stomacho hæret, in eam præsentem calore vertitur. IV. Ex hac deniq; Cerulea nimia coctione gignitur. Addit *Auicenna* bilem Cineriam, verum hanc non dari *docent Valles lib. 1. controu. cap. 19. Heurn. lib. 4. instit. cap. 3.* PITUITA præternaturalis species habet quatuor. I. Acida dicitur, quæ licet aliquam alterationem passa sit in ventriculo, tamen cum summè sit cruda, in venis vix illam alterationem ac perfectionem accipit, vnde ob defectum caloris necessariò extremè coacescit. II. Salsa ex salæ serosæ humiditatis admistione. III. Vitrea hæc dicitur, si vi caloris viscositatem tantam accipiat, vt partib. possit adhærescere. Hæc verò quando vicissim ita indurescit, vt lapidis naturam induere videatur, gypsea dicitur.

dicitur, & quibusdam quarta species; verum hæc potius topus
ac grandio dicenda est, ac solidioribus excrementis annumeran-
da. Pituitæ omnes humidæ ac frigidæ sunt, alij magis, alij minus, ex-
ceptâ falsâ, quæ per accidens, propter falsædinis admixtionem sa-
lis qualitatem, quæ calida est retinet. Vnde videre est, cur *Gal.* pas-
sim pituitam falsam modo calidam, modo pituitam omnem frigi-
dam esse dicat. MELANCHOLIA non naturalis omnium humo-
rum est pessimus, tamq; prauus, vt nullam animalium eum degu-
stare velit. Species huius statuuntur tres. I. ex sanguine fit natu-
rali vsto, est omnium mitissima, licet hanc neget *Fernel.* II. ex cho-
lera adusta oritur, hæc omnium pessima est: tanto malignior,
quanto utilis est succo melancholico acrior. *Heurn. lib. 4. instit. cap. 4.*
III. ex melancholico succo nascitur, quæ à nigro naturali differt,
sicut fœces vstæ à non vstis. Quartam speciem adijcit Auicen-
na quæ fit ex pituita, sed respondet ipsi *Menardus 9. epist. 2. &*
Heurn. d. 1.

21. Pus est excrementum partium nostri corporis in-
flammatarum, ex sanguine genitum.

Paris varia sunt genera, de quibus vide *Fernel. lib. 7. path. cap. 9.*
Optimum autem est colore album, consistentia mediocriter cras-
sum, quaq; versum sibi simile & æquale, læue & minimè fœtidum.
Hipp. lib. 1. progn. t. 42. 7. aph. 44. Debet autem optimum pus esse al-
bum, quantum à venarum, arteriarum, neruorum, membrana-
rum, adeoq; solidioris corporis partium, quæ sua natura albæ esse
solent, calore elaboratur. Crassum, quia cœctione generatur. AE-
quale, quia calor concoquens omnes ipsius partes æqualiter per-
meauit ac vniforme reddidit, vnde etiam læue quodad tactum appa-
ret. Minimè verò fœtidum, quantum calor natiuus calorem vicit ex-
traneum, *explicante ita Aquapendente in pent. chirurgic. lib. 1. cap. 6.*
Paris autem generatio an sit concoctio, multi in dubium vocant,
sunt enim qui putrefactionem statuunt, quidam vtrumq; coniun-
gunt, neq; quicquam dicunt, esse incommodi, hos motus simul fie-
ri, cum non sint verè contrarij, sed quodammodo oppositi. Illud
qui volunt, autoritatibus *Hippocratis & Galeni* nituntur; tum ratio-
ne quod scilicet calor secundum naturam non possit esse in parti-
cula,

cula, vt ipsa inflammata sit, & ad suppurationem permutetur. Verum contraria opinio verior est, vt patet ex Gal. vlt. comm. 1. prognost. & 3. de pulsib. cap. 6. Quod in partib. inflammatis pus est in ipsis valis est sedimentum vrinæ, Quod verò sedimentum, concoctionem, quæ agitur in venis, referat, tam est apud omnes autores celebratum, vt non sit opus loca notare inquit Vallesius lib. 5. controu. cap. 4. In principio autem quod videatur putrefactio, & multo sit deterior, id sit ratione materia, quæ in principio est malignior, procedente tamen tempore corrigitur, vnde sequitur coqui, nam si putresceret, deterior fieret. Quo autem argumentis contrarijs satisfiat distinguendum inter coctionem perfectam & imperfectam, & hanc coctionem collatam cum aliarum rerum concoctionib. esse imperfectam. Galenus verò quando dicit, sedimentum album, laue, æquale concoctionem perfectam significare, intelligit morbi concoctionem perfectam, id est, optimam. Non esse autem duos motus, neq; alterius illorum synceram habere naturam, sed medium quendam esse motum, vnicum quidem illum, sed vtriusq; extremorum participem probat Valles. l. d. ex Galeni verbis: Pus ex sanguine ortum habet, qui semimalam habet commutationem; vnde nec solùm à calore p. n. nec solùm s. n. generatur, sed ex mixto: cum enim hæ qualitates sint eiusdem denominationis, neq; diuersæ species videntur esse posse, nedum contrariæ. Cum itaq; vnicus sit modus, isq; medius, nunc concoctio nunc putrefactio ab autorib. appellatur.

22. *Calculus est excrementum toto genere p. n. ex limosa ac viscosa materia in corpore humano genitum.*

Nomen calculi quod attinet, Paracels. lib. 1. de morbis tartareis malefacere, ait, Galenicos, quod tartaream materiam calculos; non aliter ac simiam hominem vocitent, propterea quod quasdam hominum actiones imitari possit, cum potius tartarum appellare debebant, propterea quod materia illa oleum, aquam & sal det, quæ omnia ægrotum tanquam ignis infernalis incendunt & vrunt, tartarum enim infernum dicitur. Verum cum etiam ipse Paracelsus tartari vocabulo: metaphoricòs vtatur, & nos non tam de nomine quam rebus erimus solliciti, & calculi nomen retinebimus.

Quoad

Quoad materiam omnes quidem in eo conueniunt, quod generatur ex viscosa, lenta crassa, limosaq; materia. Vnde practici dicunt cautelam à passione lapidis renalis, in euitatione ciborum viscosorum consistere. Habent enim quidam cibi, pro sua natura, abundans quid limosum ac faeculentum, quod vbi modo debito ab utili non potest se iungi, calculo materiam præbet; stomachus enim (vt habet *Paracelsus tract. 1. de tartaro cap. 1. lib. 1.*) statim vbi ad se recipit comesta & ingesta statim separat impurum à puro. Si fortis stomachus, purum transit ad membra nutrimenti causa, impurum per secessum exit. Si stomachus debilis, mittit & impurum ad epar, vbi quoq; fit separatio, si hepar fortè rectè separat, simul mittit mucilaginosum cum vrina ad renes. Si hic bona separatio rectè, si non, hic mucilaginosum & lapideum illud remanet & coagulatur in arenam, quod vocat tartarum, quæ tamen cum grano salis accipienda. Causam efficientem quod attinet, quidam illam frigus statuunt, quod facere videntur *Aretæus & Ruffus*, nec multum dissentit *Galenus lib. 6. epid. comm. 1. tex. 6.* lapides renum eo pacto concrefcere, quo fiunt tophi. Verum, cum præter rationem sit in humano corpore frigoris tantam esse vim, qua concrefcere valeat calculos, vt habet *autor de renum affect. dignosc. cap. 2.* nec etiam à calore iterum resoluatur, hanc opinionem relinquimus, concedendo interim quod caloris imbecillitas ad materiæ calculosæ collectionem per accidens inseruire possit. Plurimi cum *Aegineta & Tralliano* calculos à calore coagulari statuunt. Verum ignea renum caliditas, absumens in glutinosa consistentia humorum id quod tenue est & aqueum (vt habet *Iacchinus*) corpori nostro inesse non possit (à modico enim calore si gigneretur, aqua iterum solueretur) & hanc opinionem relinquere cogimur, Concedendo tamen, aliquid ad calculi generationem calorem facere. Paracelsistæ ipsi calculi materiæ peculiarem vim coagulandi concedunt. Quemadmodum enim *Corallium* (vt scribit *Mauritius Cordæus*) aëri expositum lapidescit, non quidem quod ambiente aëre solum attingatur, sed quod habeat in sese absconditam duritie causam, quæ à circumstante aëre effecta illa producit: sic in calculi materia præter externas frigoris vel caloris causas non solum vt materia indurationis, sed etiam vt effectrix & in ipsis indurantibus insita fixa delitescit,

D

scit,

scit, quæ, datis necessarijs requisitis, ad illius generationem facit
 primariò. Tribuitur autem coagulationis illa vis sali, vnde dicunt,
 fieri calculum quatenus materia falsa tartarea suapte natura vergit
 ad coagulationem. Atq; hoc cum fieri videamus in thermis, tumq;
 ex fæculenta materia in vino, cum sale mista in tartarum concre-
 scere, præterea in vrinis misis hoc modo lapides concrefcere, il-
 lud etiam in nobis concedendum putamus, & hanc præcipuam
 calculorum causam statuimus. Locum quod attinet non solum in
 renibus & vesica, sed etiam in pulmonib. articulis, vesicula fellis,
 ventriculo, intestinis & inter ossa & periostio in lue venerea gignuntur,
 quemadmodum obseruarunt practici, nullibi tamen frequentius quam in renibus & vesica. *Fernelius* in vesica calculum nul-
 lum generari arbitratur, sed rudimentum quoddam à renibus tra-
 here, è quib. per nephriticum dolorem excidit in vesicam: Verùm
 contradicit ipsi *Liddel. lib.3. art. med. cap.13.* Pertinent huc
 & topi in articulis & tartarum den-
 tibus adhærens.



Conuictori suo iucundissimo,
 S. D.

M. IANVS VICOSTADIVS.

AN causa interni sint excrementa doloris?
 Externum interni causa sit? estne pote?
 Semina morborum sunt excrementa retenta,
 Excreta indicium, sæpè medela sibi;
 Exercendo, fricando artus, saliendo, equitando,
 Ludendo, clara voce legendo: sed an
 Tàm facile est animi dis-excrementa putare,
 Vt facile exeritur vase salina & aqua?

Hic

*Hic opus antidoto, vomicaq; alia: quia multis
Est morbus Φ pevris, Gallica vel scabies
Hem! Rami scabies, Galli inflati male sana,
Quas arcere operæ est galliculis precium:
Non mutis manibus, sed docta & voce diserta,
Hoc præ alijs maeste vos medici facitis.
Corporis vt mutus quisquam excrementa repellat,
Nemo animi pellet mutus ab ore feces.
Rectè, publicitus sic differis ore diserto,
Mutus & alterutras pellere vt i studeas.
Pergito sic crescet medici cum nomine res, &
Artem qui sequitur peruenendus honos.*



IN GRATIAM

*Doctiss. Dn. Respondentis hac paucula
scribebam.*

Mome tibi quoniam mordendi insana cupido,
Quod mordere queas, hinc tibi Mome datū est,
Laxa cutis quicquid penetrat spiracula mollis,
Quicquid & vrinae cystis habere solet:
Intestina simul quicquid repleta propellunt,
Esuriens hoc tu Mome vorare potes.
Quod si non sapiant assumpta hæc fercula solūm
Tunc embamma tibi bilis amara dabit.

*Fridericus Ienckius,
Suebusiensis Sil.*

D 2

Præ-



Prestantissimo & doctiss. Dn.

HENRICO PASCHASIO,
amicissimo meo.

Nolo dicis causâ Paschasi scribere quicquam!

*Hac ergo ex vero scripta fideq; scias.
Quæ nunc diuulgas sunt excrementa. medullam
Ista tamen penitam te Medica esse probant:
Quisq; bona-mentis-consultus ita arguit; illa
Hinc Momi lacryma, permadida caliga.*

scribebam

Georgius Nösslerus.

F I N I S.

